

plantas, et examinavi quae examinari possent. Tu etiam-
num cautius naturae vestigia legisti.

Achras characterem emendavi in novo systematis natu-
rae tomo 2^{do} ad descriptionem beati Loellingii mei.

In characterem *Sauragesiae* non reperio nectaria esse
cincta pilis, dum mea evolvo exemplaria sicca.

An *Conocarpus* floribus decandris et pentandris sint di-
versarum specierum? uti in Tamarice; certe quam in horto
habui et semel floruit fuit pentandra.

An *Agave sobolifera* hexapetala, et per consequens *Yuc-
cae* species?

Si vidisti *Brosseeae*, *Bucephali*, *Matthiolae* aut *Ximeniae*
flores, quaeso dicas ad quas classes et ordines spectant, nec
haec propalabo absque Tua venia, absque honorifica Tui
mentionem.

An *Aristolochia aromatica* tam stupendo gaudeat effectu
in serpentes?

Si me digneris Tuis literis, scias nullius epistolam mihi
fore magis gratam, cum a Tua sapientia non possum non
proficere, et ex animo delectari. Dicas quo dein in poste-
rum libros meos ad Te dirigam. Tu inscribas mihi desti-
natas *Societati Regiae scientiarum Upsaliae* cujus omnes epi-
stolas ego aperio, et certius habebam.

Annon *Monniera* sit genuina species Gratiolae, sic mihi
videtur ex siccis speciminibus.

Comajandera Gynandra decandra mihi plane ignota
planta est.

In nova editione systematis tomi 2^{di} introduxi nova ge-
nera americana: *Paspali*, *Comocladiae* Br. *Triplaris*, *Allio-
niae*, *Petesiae* Br.; *Crossopetali* Br.; *Fagarae* Br.; *Krame-
riae*; *Cruzetae*; *Varroniae* Br.; *Ehretiae* Br.; *Chiococcae* Br.;
Portlandiae Br.; *Psychotriae* Br.; *Erithalis* Br.; *Cedrelae* Br.
Loefl. *Byttneriae*, *Combreti*; *Amyris* Br.; *Weinmanniae* Br.;
Coccolobae Br.; *Tinus* Br.; *Trichiliae* Br.; *Bucidae* Br.; *Ery-
throxyli* Br.; *Canellae* Br.; *Blakeae* Br.; *Sesuvii*, *Grias*,